



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XIV. De libris Hæreticorum non legendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

Rom. 3. v. 8. quia non sunt facienda mala, teste Apostolo, ut con-
niant bona.

XIV. DE LIBRIS HÆRETICO-
rum non legendis.

EXORDIUM à laude artis typographicæ, quan-
Eprolixa Dei immortalis liberalitate, & con-
cessu perbenefico hominum generi donatam effi-
dices, cum ut operosi transcribendorum Codicum
labores moderatius temperarentur, tum ut gra-
vissima eruditissimorum hominum monumenta
pauculis boum in tergoribus ante descripta, &
propter vetustatem penè emortua, in communem
Reipub. Christianæ utilitatem æternitati immor-
talitatiq; consecrarentur. Hæc ubi per partium emu-
merationem amplificaveris, descende ad quorundam
sycophantarum scelus, qui ita gloriam artis huius
deformatunt, ægrè ut dijudices majoresne ex ea
hauserit calamitates Resp. Christiana, an verò
uberiores ex ea demersuerit, perceperitq; utilita-
tum fructus. Ostendes enim, quantopere nostri
ævi terræ filii, hæretica scabie squamosi, ad para-
doxa sua propaganda, nobilissimo hoc munere per-
summam scelus abutantur.

PROPOSITIO: Dicendum igitur tibi esse de
hæreticorum libris non modò non legendis, sed
purgaticibus etiam flammis abolendis.

CONFIRM. I. LOCUS ab honesto. Indignum
namque est eum, qui se Christi Religionem tueri
profiteretur, res probare ejusmodi, quæ perniciem
semper fidei Christianæ maximam intulerunt.
At hoc fecerunt libri pravis dogmatibus infecti.
Quare si omnis oratio, quæ literis mandatur, ela-
boratior esse solet, quàm ea, quæ temerè profun-
ditur; & si hæretici, propter noxia verba fugien-
di sunt, certè multò magis eorum libri fugiendi
sunt, qui instructiores sunt ad perniciem. D. Ioan-

Vide librum
meum Ger-
manicum,
qui inscribi-
tur, Reno-
vatus mun-
dus, &c.
c. 5. & Jac.
Gretserum
de more ac
jure prohib-
endi & com-
burendi li-
bros hære-
ticos.

Matt. 7.
Attendite.
Cap. 2. v. 3.
Rom. 16.
Tit. 3.

hes Evangelista non modò familiari negat late suscipiendos esse hæreticos, sed nec salutatoria dignandos benevolentia ducit, imò re ipsa & exemplo suo quantopere eos aversari cõveniat, ad sempiternam memoriam propagavit: cùm Cerinthum hæreticum non secus atque viridem lacertam vitavit. Cùm enim in balneis eum reperisset, mox exiliit ad discipulos, dicens: *Fugiamus hinc, ne balnea ipse nos corrumpant, in quibus lavatur Cerinthus inimicus veritatis.* Sic *Polycarpus*, Ecclesiæ Smyrnenfis Episcopus, Marcionem, tanquam Satornæ fugit primogenitum. Sic *Paula*, nobilissima matrona Romana, hæreticos, instar Ethnicorum habuit; & inimicitias hominum subire perpetuas, quàm Dei offensam amicitiiis noxiis provocare maluit. Sic cùm *Constantinus* *Liberium* Pontificem relegasset in exilium, & subrogasset in eius locum *Felicem*, Catholicum quidem, & incorruptæ fidei virum, ignavum tamen, ut qui familiariter cum hæreticis versaretur, nec vitaret quos oppugnare debuerat, cives *Romani* Ecclesiam, in qua *Felix* erat, ingredi volebant. Quod cùm Imperatori nunciatum fuisset, restitutus tandem est *Liberius*; *Felix* verò nulla hæresi, sed conversatione sola pollutus, cedere aliò cogebatur. Sic *Samosatenorum*, & *Edesseorum* cives, præfectis sibi *Arianis* Episcopis, se ab eorum omnibus commerciis haud secus atq; à lupis ad unum omnes subtraxerunt. *Samosateni* idem balneum, in quo *Eunomius* Episcopus lavabat, ingressi erant: Episcopus eos, ut secum lavarent, comiter invitabat, ac nemo unquam, ipso præsentem, nemo etiam postea, nisi prius aqua omni ejecta, vel per cuniculos emissa, & nova rursus adducta, lavit, quæ res tam malè habuit *Eunomium*, ut Episcopatu se exuerit. Ludebant aliquando pueri (filii ipsorum) in foro, contigit verò ut lusoria pila pedem, contingeret

Hier. lib. 3.
contra Valentinum c. 3.
Heresis moribus est contagiosa, totis viribus, & summa anime provisione cavendus.

Theod. lib. 4.
c. 14.

*Lib. 1. epist. 3.
l. Præf. To. 1.
Controv. r.
P. Bellarmi-
ni. Libri hæ-
reticorum
maximo
verborum
delectu con-
scribuntur,
ob id homi-
nes facillime
in errorem
inducunt.*

geret jumentis, quæ Episcopus Lucius, Eunomii
successor, vehebatur, continuo exclamant omnes,
& magno in ipso foro accenso igne, in eum pilam
conjiciunt. Nulla, inquit S. Cyprianus, cum talibus
commercia copulantur, nulla convivia vel colloquia
misceantur, simusque ab eis tam separati, quam sunt
illi de Ecclesia profugi. Plus autem ad perniciem va-
lere hæreticorum libros, quam eorundem vipe-
rea colloquia, probabis exemplo *Ioannis VVicleff*,
qui licet in Anglia turbulenta pestiferasque ha-
buerit conciones, pauculis tamen infamen hære-
seos labeculam asperxit, quæ tamen sine magno
negotio eluta est. Libri verò totam Bohemiam
pervaserunt, & regnum nobilissimum veneno pe-
stifero polluerunt. Et nostri temporis hæretici
multò plura libris, quam concionibus effecerunt.
Ut non sit mirum, quod Concilia olim Excom-
municationis fulmine percussendos censuerint
eos, qui librorum hæreticorum lectioni se darent.

II. *A comparatis: Si Alexander Severum* fami-
liarem suum fumo perire voluit, propterea quod
fumum vendidisset, quantò magis hæreticorum
libri ignibus consecrandi sunt, propterea quod
mortales salvifica fide privatos, æternis inferna-
lium flammaram destinant tormentis. *Aliter à
comparatis: Si venenum fugimus, multò magis hi
libri fugiendi sunt: quia id haustum corpus solum
enecat, hi verò animam.*

*Cic. de Nat.
Deorum:
Diagoram
pepulerunt,
ait. Valer.
Max. lib. 1.
c. 1. Libros*

III. *Ab Ethnicorum EXEMPLO. Athenienses*
flammis libros Diagoræ, Protagoræque aboleve-
runt, quod hic Deos, teste Lactantio, in dubium
vocasset: alter penitus negasset: Nero Fabricii
Vientonis libros exuri jussit, quod multa & pro-
brofa in patres ac sacerdotes composuisset. No-
strorum verò hæreticorum libri, & Deum ne-
gant, cum eum Sacramento Eucharistiæ exclu-
dunt, & ad libertatem, ac omnium flagitiorum li-
cer-

centiam nos vocant, & multa in Magistratus cum Civiles, rum Ecclesiasticos, in Pontifices, in Sanctos, in Deum blasphemie eieciunt convitia; ergo multo magis ii comburendi sunt.

IV. *A perpetua Ecclesia consuetudine.* Act. 19. Ephesii qui fuerant curiosi sectari, libros suos combusserunt. *Concilium Nicaenum* libros Arii adjudicavit igni. *Constantinus Magnus Imp.* id fieri iussit proposita pœna capitis, si quis occultasset. *Theodosius Imperator Nestorii* libros in Concilio Ephesino exuri iussit. *Honorius, & Theodosius* omnes libros Eutychet. diligentissimè quæsitos, jusserunt cremari. *Honorius, & Arcadius Imp.* Eunomianorum & Montanistarum, *Marcianus Apollinaris* scripta ex hominum manibus rejici voluerunt. *Ornabis hac per comparationem.* Refert Val. Max. libro 1. de Petilio Urbano Prætorè, quòd septem libros Græcè conscriptos de disciplina sapientiæ, quia aliqua ex parte ad solvendam Religionem pertinere videbantur, ex auctoritate Senatus, per victimarios, seu ministros sacrificiorum, igne facto, in conspectu populi cremaverit. *Concludes hunc locum per Prosopopœiam,* accersendo D. Paulum Apostolum, qui defleat hominum nostræ ætatis improbitatem, per collationem cum veteribus Christianis, de quibus est Act. 19. illi non solum eos libros, qui religionem contingebant, sed qui curiositatem etiam aliquam redolebant flammis tradiderunt. At quàm illis hoc est præclarum, tam nobis est turpe in religione veteranos à tyronibus superari, illi alacres pretium denariorum quinquaginta millium abjecerunt, nos exigui libelli jacturam pertimescimus?

V. *Ab impio.* Quod impium sit Pontificum Maximorum, & cæterorum Ecclesiæ Antistitum decreta convellere; isti enim nostræ religionis duces gravissimis verbis nobis omnibus libros tum

Pars I.

D

secta-

Diagora in concione exasserunt, auctoremque, velut impium, ex urbe agroque exterminaverunt.

Iustinianus eos, qui Severi libros descripsissent, dextra voluit manu privari.

Matth. 18.

sectarios, tum morum bonorum hostes, seu impuros interdixerunt. *Concilium Tridentinum* Indicem fecit hæreticorum librorum, ut qui cumburendi sint cognosci possint. *Hic amplificabis* auctoritatem Ecclesiæ, & Principum Ecclesiasticorum. Christi Servatoris nostri est: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Illa enim duce tenebras errorum evadimus, & nos ab hostium insidiis facilè expeditur, & si par est, ut Imperatori milites obediât, quo loco nos habebimur, si Principum nostræ militiæ auctoritatem & imperium detrectemus? Diris omnibus devoentur, qui absq; Ecclesiastici Magistratus auctoritate hæreticorum libros versant. *Hic ostende* quanta enormitas sit excommunicationis, quod per eam à bonorum consuetudine quis segregetur, à cœlis arceatur, & dæmonibus permittatur.

Vide Gell.
lib. 18. c. 3.

In CONFUTATIONE refutabis quorundam excusationem, quam suæ temeritati prætendunt: cognoscenda bona & mala, ut bonum diligamus, malum detestemur. Dices enim difficile esse ex luto aurum colligere, & maximam partem hominum specie recti decipi: adhæc ad pravitatem, quam ad virtutem nos esse incitatiores, magnæ etiam esse arrogantiae, plus suum de controversiis religionis facere iudicium: quàm tot sanctissimorum doctissimorumq; hominum Concilia, & omnem superiorum temporum antiquitatem. Denique etiam si quædam in libris hæreticorum sint bona, non tamen ea in istis libris esse legenda, cum in iis sint, non ut profint, sed ut noceant.

PERORATIO monebit Auditores, ut libros hæreticorum non modò non legant, verùm ne quidem habeant; sed Vulcano potius litent. Vel instituetur per Prosopopœjam Ecclesia monentis suos filios, ut ab hisce veræ salutis pestibus non solum sibi caveant, sed easdem etiam penitus opprimere studeant.

XV. SVA.

XV. SVADET PRÆCEPTOR DIS-
cipulis, ad Theologiam aspirantibus, lin-
guæ Hebraicæ studium.

EXORDIUM sumet ab officio suo, & amore erga
discipulos: quòd propter amorem, quo illos
prosequitur, non possit non ea, quæ ad salutem &
utilitatem ipsorum pertinere videntur, liberè eis
suggerere. Narrabit deinde se cognovisse, multos
suorum discipulorum ad functionem Ecclesiasti-
cam, & nobilissimum Theologiæ studium aspirare.

PROPOSITIO: Te igitur ipsis suaturum, ut
non modò Latinam & Græcam; sed etiam Hebræ-
am, seu sanctam linguam addiscant.

CONFIRM. I. LOCUS, ab honesto. Quòd hone-
stum sit eam callere linguam, qua Deus ipse in Pa-
radiso, & primi nostri parentes usi sunt; qua post
etiam Lex tradita est; qua Patriarchæ, Prophetæ, *Genes. II.*
Apostoli, & ipse Christus locutus est; quæ deniq;
non superbiam habeat causam, quemadmodum re-
liquæ linguæ omnes. Nam propter superbiam qua
inflati homines turrim Babylonicam in cælum
usq; exstruere conabantur, Deus linguarum va-
rietatem, quasi pœnam quandam dedit, atque ita
tantum superbiæ opus dissipavit.

II. Ab utili seu commodis. PRIMÒ, Quòd huius
cognitio faciat ad planiorem sacræ scripturæ in-
telligentiam: quia præcipua Bibliorum pars hac *Ovid. 3. de*
lingua continetur. SECUNDÒ, præstat ut erro- *Ponto: Gra-*
res hæreticorum animadvertantur, quos illi no- *tius ex ipso*
bis ex hac lingua, ut fonte sacræ scripturæ, obtru- *fonte bibun-*
dere conantur. TERTIÒ, ad hunc fontem re- *tur aqua.*
curri potest, si quam dubitationem attulerit La-
tinorum interpretum infinita varietas. QUARTÒ,
efficit ut mendæ, quæ vel ex negligentia Typo-
graphorum, vel ex aliorum imperitia irreperunt,
innotescant, & emendentur. QUINTÒ, ut vo-
cabu-